



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

IX. De vers. 9. Quoniam tu es Domine spes mea &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

In Psalmum XC. Qui Habitat, Serm. IX. 525

audiamus quid ad tantas promissiones devota & fidelis anima respondeat, ne forte aut diffidere, aut secus quam oporteat fidere videatur. *Quoniam tu es, inquit, Domine, spes mea.* Quid tam sobriè, quid tam piè poterat dici? Sed nec aliud huic verbo videtur posse convenientius responderi, quàm quod sequitur: *Altissimum posuisti refugium tuum.* Cæterum ignoscite nobis, Fratres, hodie quoque promissæ etiam terminos brevitatis paulominus excessisse videmur.

S E R M O IX.

De ψ. IX. *Quoniam tu es Domine spes mea, altissimum posuisti refugium tuum.*

**E**Tiam, Fratres, hodie aliquid audiamus de promissione Patris, de expectatione filiorum, de fine huius nostræ peregrinationis, de mercede laboris, de fructu captivitatis. Et quidem dura omnino captivitas, non modo illa communis, quam ex ipsa jam conditione generis toleramus humanis sed hæc quoque, qua voluntates mortificare proprias, etiam perdere proprias in hoc mundo animas festinantes, in hos tam rigidæ compedes disciplinæ, in hunc tam gravis pœnitentiæ carcerem dedimus nosmetipsos. Miseranda servitus planè, sed si coacta, sed si non spontanea videretur. Nunc verò cum voluntariè sacrificetis Deo, nec ingeratur ulla, nisi per ipsam voluntatem violentia voluntati, profecto aliquid in causa est. Illud puto aliquid, quo maius aliquid esse non potest. An verò plangendum videtur quamlibet magnum, quamlibet laboriosum, quod propter DEUM fiat? Et si magnitudo ipsa laboris interdum fortè extorqueat compassionem, sed multò magis causæ consideratio exigit congratulationem. Quid, quòd bona omnia non modo propter eum constat fieri, sed per eum? DEUS enim est, qui operatur in vobis, & velle & perficere pro bona voluntate<sup>a</sup>. Ipse ergò auctor, ipse remunerator operis, ipse remuneratio tota: ut summum illud bonum, cuius nimirum tam perfecta est simplicitas in seipso, duplex quodammodo videatur in nobis causa bonorum, effectiva scilicet, & finalis. Benè ergò, dilectissimi, quòd in his omnibus tam multis laboribus vestris non modo subsistitis, sed etiam superatis, propter eum qui dilexit vos. An verò non per eum? Et manifestè. *Sicut enim abundant pro Christo tribulationes nostræ (ait Apostolus<sup>b</sup>) ita abundant etiam consolationes nostræ per ipsum.*

*Omnia dura & aspera propter DEUM, & per eum levata ac facienda.*

<sup>a</sup> Philip. 2. b

<sup>b</sup> 2. Cor. 1. a

Usitatus sermo, communis sermo, propter Deum, sed planè ubi non vacuè dicitur profundissimus sermo. Crebro sonat in ore hominum, etiam à quorum corde longe esse probatur. Omnes sibi propter DEUM

Propter DEUM vox frequens

Yuu z

præstari

*in ore homi-  
num, sed non  
in corde &  
affectu.*

præstari postulant, propter DEUM flagitant sibi subveniri. Facile quoque ipsa petuntur propter Deum, quæ tamen non sunt secundum Deum: & id sibi fieri quis obsecrat propter Deum quod non desiderat propter Deum, magis autem forte contra Deum. Cæterum vivus plane & efficax sermo, ubi non perfunctoriè, non usurpatoriè, non velut quodam usu loquendi, vel arte persuadendi; sed ex pinguedine, ut dignum est, devotionis, & pura animi intentione procedit. Nempe & mundus transit, & concupiscentia eius, nec satis utiliter posita, aut stabilita firmiter, vel cadente eo, quæ pro eo facta sunt videbuntur. Ubi enim causa ipsa deficiet, quomodo non omnia quoque quæ ei videbantur innixa; pariter evacuantur; Propterea denique & qui in carne seminant, de carne habent metere corruptionem: quod videlicet omnis caro scænum, & gloria eius tamquam flos sceni <sup>e</sup>: & ubi scænum aruerit, florem quoque nihilominus cadere sit necesse. Solus qui est causa, indeficiens est: nec flos sceni, sed verbum Domini manet in æternum. Denique, *cælum*, inquit <sup>d</sup>, & *terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*

Prudenter itaque, dilectissimi, & utiliter elegistis propter verba laboriorum eius custodire vias duras; illic seminantes, ubi ne minima quidem portio vestri seminis valeat deperire. Sanè: Qui parcè seminat, non quidem non metet, sed parcè metet <sup>e</sup>. Nempe, qui metit, mercedem accipit: & scimus quis promisit, ne eum quidem qui pro nomine suo calicem aquæ frigidæ dederit sitienti, mercede propria cariturum <sup>f</sup>. Nunquid tamen in qua mensura mensus fuerit, sibi quoque remetietur: aut in retributione æquabitur ei, qui non aquam porrigens, sed sanguinem fundens, propinatum sibi biberit calicem Salvatoris? Non est hic calix aquæ frigidæ, sed calix inebrians quam præclarus, calix vini meri, & quidem plenus mixto. Solus enim merum habuit vinum Dominus meus *JESUS*, qui solus perfectè mundus, & semper etiam potest facere mundum de immundo conceptum semine. Solus planè merum habuit vinum, qui nimirum & secundum divinitatem sapientia est, ubiq; attingens propter munditiam suam, & nihil inquinatum cadit in eum: & secundum humanitatem peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius: solus non debito conditionis gustavit mortem, sed suæ beneplacito voluntatis, sanè non ob propriam utilitatem, bonorum enim nostrorum non eget: sed nec tanquam retribuens nobis gratiam pro gratia, qui non aliter pro amicis mortuus est, nisi pro acquirendis, videlicet ut amicos faceret ex inimicis. Cum enim adhuc inimici essemus, reconciliati sumus DEO per sanguinem Filii sui. Aut potius pro jam amicis, etsi nondum quidem amantibus, sed tamen jam amatis. In hoc est enim gratia, non quasi nos dilexerit

*Christi mors  
meri fuit a-  
moris.*

In Psalmum XC. Qui Habitat, Serm. IX. 527

dilexerimtis Deum, sed prior ipse dilexit nos. Vis nosse quam longe prior? *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi* (ait Apostolus *g*) *qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo Iesu, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Et post pauca: *Gratificavit, inquit, nos in dilecto Filio suo.* Quomodo ergo non dilecti jam tunc in illo, quando electi in illo? Quomodo non ei grati, in quo gratificati sumus? Sic ergo Christus secundum tempus quidem pro impiis mortuus est: secundum prædestinationem autem pro fratribus & amicis.

g 2. Cor. 1. a

In his ergo omnibus merum est vinum ipsius equidem & solius, uti ne quispiam cæterorum præsumere audeat non esse quod sibi propheticum illud aptetur *b*: *Vinum tuum mixtum est aqua.* Primum, quod nemo interim mundus à sorde, nemo gloriari possit omnino se castum habere cor. Deinde quod mortis debitum persolvant, quandoque necesse est. Tertio quod ponentes pro Christo animas hoc sibi compendio vitam mercantur æternam: sed væ eis, si ipsius erubescerent testimonium. Quarto, quod prærogatæ sibi & gratis exhibitæ tantæ dilectioni imparem nimis exiguamque rependant. Attamen nec hoc mixtum, qui sine mixtura est dedignatur, adeo ut fiducialiter Apostolus dicat *c*, qui sine mixtura est dedignatur, adeo ut fiducialiter Apostolus dicat *c*, implere se *quæ desunt passionum Christi in corpore suo.* Sit ergo licet electis pariter omnibus unus idemque denarius vitæ reddendus æternæ; & in ipsa tamen sicut stella à stella differt in claritate: & alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia stellarum; sic erit & resurrectio mortuorum: & quamvis domus una, diversæ tamen in ea sunt mansiones: ut videlicet quantum quidem ad æternitatem & sufficientiam; & qui parum, non minoretur; & qui multum, non abundet: quantum verò ad eminentiam & discretionem meritorum unusquisque accipiat secundum suum laborem, ne quid omnino pereat quod in Christo sit seminatum.

b Esa. 1. f

Mors nostra quam impar morti & amori Christi.

c Colof. 1. d

Hæc autem dicta sunt, Fratres, ut illius tam spiritualis responsi, quod hodie nobis considerandum est, gratia commendetur. *Quoniam tu es Domine spes mea.* Quicquid igitur agendum sit, quicquid declinandum, quicquid tolerandum, quicquid optandum, tu es Domine spes mea. Hæc una mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei & æstus, jejunare bis in sabbato dicat, postremò non esse sicut cæteros hominum gloriatur: mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Sperent in alijs alij, forte hic in scientia litterarum, hic in astutia sæculi, ille in nobilitate, ille in dignitate, ille in alia qualibet vanitate confidat: propter te omnia detrimenta feci; & ut stercorea arbitror, quoniam tu es Domine spes mea. Speret qui vult in in-

Totus hominis pij thesaurus spes in Deum.

V u u 3 certo

certo divitiarum: ego verò ne ipsa quidem nisi abs te victui necessaria  
 & Matt. 6. d spero, nimirum verbo tuo confidens<sup>k</sup>, in quo abjeci omnia. *Quærite*  
 1 Psal. 2. g *primum regnum Dei & iustitiam ejus, & omnia adiciuntur vobis. Nempe*  
*tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor<sup>l</sup>*. Si mihi præmia pro-  
 mittuntur, per te obtinenda sperabo. Si insurgant adversum me præ-  
 lia, si sæviat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversum spiritum  
 concupiscat; in te ego sperabo.

Fratres, hoc sapere, ex fide vivere est: nec alius ex sententia dice-  
 re potest: *Quoniam tu es Domine spes mea*, nisi cui intus sit persuasum à  
 spiritu, ut (quemadmodum monet Propheta<sup>m</sup>) jactet cogitatum suum  
 in Domino, sciens quòd enutriendus sit ab eo, juxta illud quoque Petri  
 1. Pet. 5. c Apostoli<sup>n</sup>: *Omnem sollicitudinem vestram proicietes in eum: ipsi enim*  
*cura est de vobis. Ut quid enim si hæc sapimus, ut quid cunctamur abiicere*  
*omnino spes miseras, vanas, inutiles, seductorias: & huic uni tam solidæ,*  
*tam perfectæ, tam beatæ spei, tota devotione animi, toto fervore spiritus in-*  
*hærere? Siquid illi impossibile, si quid vel difficile est, quære aliud*  
*in quo speres. Sed verbo omnia potest. Quid facilius dictu? Attamen*  
*hujusmodi dictum intelligas volo. Si decreverit salvare nos, continuo*  
*liberabimur: si vivificare placuerit, vita in voluntate ejus est. Si præ-*  
*mia æterna largiri, licet ei quod vult facere. An verò de facilitate jam*  
*non dubitas, sed ipsa tibi est suspecta voluntas? Plane & voluntatis testi-*  
 monia credibilia facta sunt nimis. *Majorem hac dilectionem nemo habet,*  
*quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis<sup>o</sup>*. Denique quando in se  
 speranti desit illa majestas, quæ tam studiose monet in se sperari? Planè  
 non dereliquit sperantes in se. *Adjuvabit eos, ait P, & eruet eos à pecca-*  
*toribus; & salvabit eos. Quare? Quibus meritis? Audi quod sequi-*  
*tur: Quia speraverunt in eo. Dulcis causa, attamen efficax, attamen ir-*  
*refragabilis. Nimirum hæc est iustitia, sed quæ ex fide est, non ex lege.*  
*De quacunque tribulatione, inquit, clamaverint ad me, exaudiam eos. Ecce*  
*numera tribulationes; secundum multitudinem earum consolationes ejus*  
*lætificabunt animam tuam: dummodo ad alium non convertaris;*  
*dummodo elames ad eum; dummodo speres in eum? nec humile ali-*  
*quid vel terrenum, sed altissimum ponas refugium tuum: Quis spera-*  
*vit in eo, & confusus est? Facilius est cœlum & terram transire, quàm*  
*verbum ejus evacuari.*

*Altissimum, inquit, posuisti refugium tuum. Non accedet illuc ten-*  
 tator, non calumniator ascendet, non pessimus ille fratrum accusator  
 attinget. Nempe ei dicitur hoc (recolite Psalmi primordia) ei dicitur,  
 qui in protectione Altissimi commoratur, illuc refugiens à pusillanimitate  
 spiritus

*Sperandum  
 in Deo omni  
 vana spe ab-  
 jectâ.*

*o Ioan. 15. b*

*p Psal. 36. g  
 Spes in Deum  
 efficax ratio  
 obtinendi di-  
 vini auxilii.*

In Psalmum XC. Qui Habitat Serm. IX. 529

spiritus & tempestate. Quæ quidem duplex necessitas fugiendi, quod videlicet & foris pugna & intus timores. Minus enim fugere oporteret, si vel interior magnanimitas exteriores tumultus viriliter sustineret, vel exteriori tranquillitate pusillanimitas propria foveretur.

*Altissimum*, ait, *posuisti refugium tuum.* Sæpe illuc fugiamus, Fratres, munitus est locus, nullus ibi timetur hostis. Utinam magis semper ibi manere liceret. Sed non est hoc temporis hujus. Quod modo refugium est, quandoque habitaculum erit, & habitaculum sempiternum. Interim sane etsi persistere non conceditur, frequenter tamen est recurrendum. Nempe ad omnem tribulationem, ad omnem denique cujuscunque modi necessitatem aperta est nobis urbs confugii. Sinus matris expansus est: Parata sunt foramina petrae; Patent viscera misericordiae DEI nostri. Hoc refugium qui declinat, nihil mirum si effugere non meretur.

Jam quidem, Fratres, quæ dicta sunt, ad expositionem versus hujus videntur posse sufficere, si dixisset Propheta: *Quoniam in te speravi*, sicut in alijs Psalmis quibusdam invenitur. Cæterum quod dicit: *Tu es Domine spes mea*: forte amplius aliquid sonat & sublimius, quod videlicet non modo in eo speret, sed eum. Convenientius si quidem spes nostra dicitur quod speramus, quàm in quo speramus. Sunt autem forte nonnulli qui à Domino obtinere temporalia seu spiritualia quælibet concupiscunt: sed perfecta charitas solum sitit quod summum est tota desiderij vehementia clamans: *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Pulchrè nobis utrumque paucis verbis hodie Hieremiæ prophetæ lectio commendavit: *Bonus es Domine sperantibus in te, animæ quærenti te.* Ubi sanè & ipsam numeri discretionem prudenter advertite, quòd sperantes quidem in eo pluraliter dixerit, quòd hoc videatur commune multorum: quærentem verò eum singulariter, quòd singularis sit puritatis, singularis gratiæ, singularis perfectionis non modo nil sperare nisi ab eo, sed nil quærere nisi eum. Quòd si bonus illis, quanto magis isti?

Merito proinde quærenti illum animæ respondetur: *Altissimum posuisti refugium tuum.* Neque enim sic Deum sitiens anima, aut cum Petro ei in terreno monte facere tabernaculum, aut cum Maria deinceps eum tangere vult in terra, sed planè clamat: *Fuge Dilecte mi, assimilare caprea hinnuloque cervorum super montes Bethel.* Andivit enim dicentem: *Si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem, quia Pater major me est.* Andivit dicentem: *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem.* Et cœlestis jam nõ ignara consilij clamat cum Apostolo: *Et si cognovimus Christum*

*Ad altissimum refugium frequenter recurrendum.*

*Non modo in Deo speramus, sed ipsum Deum.*

¶ Psal. 72. d

¶ Thren. 3. c

¶ Matt. 17. a  
 † Ioan. 20. d  
 † Cant. 8. d  
 † Ioan. 14. d

¶ Ioan. 20. d  
 † 2. Cor. 5. d

*Christum*

*Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus.* Super montes, inquit, Bethel, super omnem videlicet Potestatem & Principatum, super Angelos & Archangelos, Cherubim quoque & Seraphim. Neque enim alij sunt montes domus Dei, quod sonat Bethel, planè in dextera Patris, ubi jam non sit Pater major eo, in dextera Altissimi coalitissimum apprehendere concupiscens. Hæc enim est vita æterna, Fratres, ut Patrem cognoscamus verum Deum, sed & quem milit, Jesum Christum, verum nihilominus, & unum cum eo Deum, per omnia benedictum in sæcula, Amen.

## S E R M O X.

De *ÿ. X.* Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

**N**Ec nostra est, nec nova nobis, sed nota omnino sententia, in præcipuis quibusque partibus nostræ fidei; quid non sit, quàm quid sit, & sciri posse facilius, & periculosius ignorari. Idem sanè & spei non inconvenienter tribui posse videtur. Longè enim facilius mens humana tantorum experta malorum, quibus sit caritura, quàm quibus perfruitura, comprehendit. Nempe germana fidei speique cogitatio est; ut quod illa futurum credit, hæc sibi incipiat sperare futurum. Merito proinde Apostolus *Fidem sperandarum rerum substantiam* esse diffinit <sup>a</sup>, quod videlicet non credita nemo sperare, non plus quàm supra inane pingere possit. Dicit ergo fides: Parata sunt magna & incogitabilia bona à Deo fidelibus suis. Dicit spes: Mihi illa servantur. Nam tertia quidem charitas: Curro, mihi ait, ad illa. Cæterum, ut jam memini, difficile omnino, aut etiam impossibile illorum qualitatem investigare bonorum; nisi cui forte (juxta illud Apostoli <sup>b</sup>, *quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se*) revelavit ipse per spiritum suum. Sanè quantumlibet perfectus in carne adhuc mortali degens (nisi enim esset hic quædam, ut ita dixerim, imperfecta perfectio, non diceret Apostolus <sup>c</sup>: *Quotquot perfecti sumus, id ipsum sentiamus: id ipsum profecto quod præmiserat: Non quasi jam acceperim, aut jam perfectus sim*) etiam Paulus ipse necesse est fateatur <sup>d</sup>, *quia nunc cognosco ex parte.* Et item: *Vidimus nunc per speculum & in anigmate, tunc autem facie ad faciem.* Quod ergo homini interim noscitur capabilius, sanè pia & provida inculcatione amplius commendatur. Proprium enim est afflictorum, ut molestiis eximi, summam reputent felicitatem; & carere miseria, summam beatitudinem arbitrentur. Unde <sup>e</sup> *Psal. 114. b\** Propheta in psalmo <sup>e</sup>; *Convertere, inquit, anima mea in requiem tuam, quia*

<sup>a</sup> Heb. 11. a  
Facilius intelligi mala quibus carebimus, quam bona quibus fruituri sumus.

<sup>b</sup> 1. Cor. 2. c

<sup>c</sup> Phil. 3. c

<sup>d</sup> 1. Cor. 13. d

<sup>e</sup> Psal. 114. b\*